



## **Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.**

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum  
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra  
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure  
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;  
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &  
heriditarias quasi successiones

**Epo, Boetius**

**Duaci, M.D.LXXXIIX.**

58 Pluralitas beneficiorum quando permissa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

voluntatem, vel, illo recusante, per Summi Pontificis operam. Sanè si seriò vereque fuerit celebratus permutationis contractus, hoc est ea mente vt vicissim beneficium pro beneficio redderetur, sed post impletam ab altero permutationem tunc demum is qui eam impleuit alteri remiserit eius impletionē, verius est hanc remissionē non improbari cū nihil vnquam fraudis interuenerit contra collatorem ordinarium, atque liberum sit vnique iure suo non vti. sufficit enim cōtractum ab initio substituisse. Quemadmodū & in emptione ac venditione si de certo pretio cōuenerit ab initio, postea autem perfecto iam contractu pretium remittatur, contractus emptionis & venditionis nihilominus valebit & perdurabit, vt & alij contractus; quia propter hanc remissionē non censentur imaginarij sed quoad cetera nihilominus ex iis agetur d. l. empti. C. de cōtrah. empt. & vend. l. circa locationes. 19. C. de locat. & cond. l. si tibi habitationem. §. ff. locati. vbi si domus locetur & mox pēsio remittatur, nihilominus ex locato & conducto agendum esse respondet Ic. Attamen in beneficiorū permutatione remissio talis alium potest ac meritò debet animo remittētis gignere scrupulum seu coaggregationis seu accumulationis seu coaceruationis seu multiplicis seu pluralitatis (vt cum nostris loquar) beneficiorum fouendæ; cuius mali per huiusmodi remissionē fieret auctor & comprobator huiusmodi commutator tam liberalis, contra iuris omnis

57  
 Quid si contrahentis alter alteri remittat contractus impletionē, post contractum iam initum.

58.  
 Pluralitas beneficiorum quando permissa.

etiam nouissimo Concilio Tridentino renouati rationem. c. Reformationis 17. sess. 24. nisi tam tenue fuerit vnum beneficium vt ad vitam eius cui confertur sustentadam non sufficiat. quo casu permittitur aliud adhuc simplex beneficium sufficiens, dummodo vtrumque personalem residentiam non requirat, eadem conferri. Sed nõ moueamus hanc in præsentia quidem Camarinam. de qua præclare multa post D. Thomam Dominicus Soto li. 3. de instit. & iure. quæst. 6. art. 3. nostrique DD. ad c. de multa. s. de præbend. narrat Author fasciculi temporum, Anno Christi 1238. vehementer solemnè Parisiis habitam fuisse disputationem contra pluralitatem beneficiorum, ibique per sanctos doctores determinatum fuisse, Neminem sine periculo peccati mortalis posse tenere duo beneficia quorum alterum sufficeret ad vitam sustentadam; quosdam veno qui secus opinati contrarium fecissent, diuinæ iustitiæ flagello diuersis in locis horribiliter punitos. Cuius rei meminerunt & Chronica Francorum, & liber primus Apum Thomæ Cantipratenensis cap. 19. & Iacobus Meierus lib. 8. Annalium flandriæ, & nouissime Arnoldus Pontacus in sua Chronographia sub Pontificatu Gregorij noni harum Decretalium auctoris, ad eundem annum 1238. Sed horum factis; ad vltiora tandem pergamus.

Ait Pont. in *Turonensi Concilio.* de quo diximus in Proæmio nostro ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. & ex c. maioribus. s. de præ.

59  
*Parisiensis  
Doctorem de  
beneficiorum  
pluralitate  
definitio.*